

72. Idem, lib. 3. Quæstionum.

Cum tale legatum esset relictum, Titio. si a liberis non discesserit: negaverunt eam recte cavere, quia vel mortuis liberis legati conditio possit existere; sed displicuit sententia: non enim voto matris opponi tam ominosa non interponendæ cautionis interpretatio debuit. — § 1. Et cum patronus liberti certam pecuniam legasset, si a liberis [ejus] non discessisset, permisit imperator velut Mucianam cautionem offerri: fuit enim periculosum ac triste, libertum conjunctum patrōni liberis eorundem mortem expectare. — § 2. Titius heredem institutum rogavit post mortem suam hereditatem restituere, si fideicommissi cautio non fuisset petita: Mucianæ cautionis exemplum ante constitutionem remissæ cautionis locum habere non potuit, quoniam vivo eo⁶, cui relictum est, impleri conditio potuit. — § 3. Quid ergo, si ita scriptum sit, Peto post mortem tuam restituas hereditatem, ita ne satis fideicommissi petatur, neve ratio exigatur? sine dubio per hujusmodi verba non interponendæ quidem cautionis conditio videbitur adscripta, rationi vero non exige de modis adhibitis, scilicet ut culpa, non etiam dolus⁷ remissus intelligatur: idque in ejus persona, qui negotia gessit, cuique rationis reddendæ necessitas fuerat testamento remissa, rescriptum est. — § 4. Si arbitrari Titii Seia nupserit, heres meus ei fundam dato: vivo Titio, etiam sine arbitrio Titii eam nubentem legatum accipere, respondendum est: eamque legis sententiam videri, ne quod omnino nuptiis impellimentum inferatur. Sed si Titius vivo⁸ testatore decedat, licet conditio deficiat, quia tamen suspensa quoque pro nihilo foret, mulieri succurratur. — § 5. Mœvia, si non nupserit, fundam cum morietur, lego: potest dici, et si nupserit, eam festinim ad legatum admitti. Non idem probatur, si certus dies incertusve alius legato fuerit adscriptus. — § 6. Falsam causam legato non⁹ obesse, verius est: quia ratio legandi legato non coheret; sed per unum doli exceptio locum habebit, si probetur alias legaturus non fuisse. — § 7. Falsam conditionem Cassius et Cælius Sabinus impossibile esse dixerunt: veluti, Pamphilus, si quod Titio debeo solverit, liber esto: si modo nihil Titio fuit debitum; quod si post testamentum factura testator pecuniam exsolvit, defecisse conditionem intelligi. — § 8. Falsam legati demonstrationem non facere legatum, Sabinus respondit: veluti si quis, cum Titio nihil legasset, ita scriptum reliquerit, ex centum quæ Titio legavi, quinquaginta heres Seio dato: idque sumpsit ex defuncti voluntate: non animo legandi, sed deminueni legatum, quod falso datam existimaret, ita scriberet. Propter falsam tamen demonstrationem legati non plus Seius adsequetur, quam si vere demonstratum fuisset.

73. Idem, [lib. 19 Quæstionum].

Titio fundus, si in Asiam non venerit: idem, si pervenerit, Sempronio legatus est: cum in omnibus conditionibus, quæ morte legatariorum finiuntur, receptum est, ut Muciana cautio interponatur: heres cautionem a Titio accepit et fundum ei dedit: si postea in Asiam pervenerit, Sempronio heres quod¹¹ ex stipulata cautionis interpositæ consequi potest, ut illi actione præstare cogitur: sed si cautio medio tempore defecerit, quæ sollicite fuerat exacta, non de suo præstabit heres, sed quia nihil ei potest obijci, satis erit actiones præstari: si tamen, Titius cum in Asiam venisset, Sempronius prius quam legatum accipiat, decesserit, heredi ejus deberetur, quod defunctus petere potuit.

74. Idem, [lib. 32 Quæstionum].

Mulier et Titio usufructus, si non nupserit mulier, relictus est: si mulier nupserit, quamdiu Titius et vivit et in eodem statu erit, partem usufructus habebit; tantum enim beneficio legis ex legato concessum esse mulieri intelligendum est, quantum haberet, si conditioni paruisset: nec, si Titius, qui conditione defectus¹² est, legatum repudiet, ea res mulieri proderit.

75. Idem, lib. 34 Quæstionum.

Dies incertus conditionem¹³ in testamento facit.

76. Idem, lib. 6 Responsorum.

Fideicommissum a filiis relictum, si quis ex his sine liberis diem suum obierit, adoptionis¹⁴ commento non excluditur.

77. Idem, [lib. 7 Responsorum].

Avia, quæ nepotem sub conditione emancipationis pro parte heredem instituerat, ita postea codicillis scripsit: Hoc amplius nepoti meo, quam

6. L. 101. § pen. infr. h. t. — 7. L. 9. supr. de liberat. legat. — 8. L. 28. in pr. supr. h. t. — 9. L. 62. in fin. supr. cod. — 10. L. 17. § 2. supr. cod. — 11. Inst. de legat. — 12. L. 79. § 2. infr. h. t. — 13. L. 1. C. de indic. viduit. — 14. L. 30. § 4. in fin. supr. de legat. — 15. L. 1. § 4. supr. h. t. — L. 4. in pr.; L. 21. in pr.; L. 22. in pr. infr. quando dies legat. — 16. L. 54. in fin. supr. de legat. — 17. L. 82. L. 108. infr. h. t.; L. 18. § 1. supr. de condit. institi; L. 21. § 1. infr. de statulib. — 23. L. 24. supr. h. t.

quod eum heredem institui, lego prædita illa: conditionem emancipationis repetitam¹⁵ videri placet, quamvis avia nullam in legatis, ut in hereditate substitutionem fecisset. Nam et¹⁶ cum servus pure quidem liber, heres autem sub conditione scriptus, et si heres non extiterit, legatum accipere jussus est: in legato repetitiam videri libertatem divus Pius rescripsit. — § 1. Muciana cautio locum non habet, si per aliam conditionem actio legati differri possit. — § 2. Titio, si mulier non nupserit, heres centum dato: quam pecuniam eidem mulieri Titius restituere rogatus est. Si nupserit mulier, die legati cedente, fideicommissum petet: remoto autem fideicommissio, legatarius exemplum Mucianæ cautionis non habebit. — § 3. Pater exheredatæ filiae tutores dedit, eosque, si mater ejus, impubere filia constituta vita decessisset, ad rem gerendam accedere jussit: cum uxori mandatum esset, ut moriens filiae communi decies restitueret: non sub conditione tutores videbuntur dati, nec si quid aliud interea puella quæsisset, ejus administratione prohiberi: cautio vero fideicommissi matri remissa. Quocumque indicio voluntatis cautio legatorum vel fideicommissorum remitti¹⁷ potest. Itaque si cautionis non petendæ conditio legato vel fideicommissio præscribitur, conditionem ea res non faciet: non enim deficiet, si quis caveri desideraverit¹⁸, onere cautionis non secuto: quod adversus invitum hodie jure publico sequi non potest, postquam remitti posse cautionem placuit.

78. Idem, [lib. 9 Responsorum].

Cum pupillus aut tutor ejus conditionem in personam pupilli collatam impedit, tam legati, quam libertatis, jure communi, conditio impleta¹⁹ esse videtur. — § 1. Disjunctivo²⁰ modo conditionibus adscriptis, alteram²¹ defecisse non obert, altera vel postea impleta. Nec interest, in potestate fuerint accipientis conditiones, an in eventum collatae.

79. Idem, [lib. 1 Definitionum].

Heres meus, cum morietur Titius, centum ei dato: purum legatum est, quia non conditione, sed mora suspenditur: non potest enim conditio non existere. — § 1. Heres meus cum ipse morietur, centum Titio dato: legatum sub conditione²² relictum est: quamvis enim heredem moriturum certum sit, tamen incertum est, an legatario vivo dies legati non cedat, et non est certum ad eum legatum perventurum. — § 2. Qui post Mucianam cautionem interpositam legatum accepit, si contra cautionem aliquid fecerit, stipulatione commissa etiam fructus²³ heredi restituet: hoc enim legatarius et in exordio cavere cogitur. — § 3. Quamvis ususfructus, cum morietur legatarius, inutiliter legatur: tamen cautionis Mucianæ remedium, usufructu quoque sub conditionem alicujus non faciendi legato locum habet. — § 4. Quod in fraudem legis ad impediendas nuptias scriptum est, nullam vim habet: veluti, Titio pari centum, si filia, quam habet is in potestate, non nupserit, heres dato: vel filiofamilias, si pater ejus uxorem non duxerit, heres dato.

80. SÆVOLA, lib. 8 Quæstionum.

Eas causas, quæ protinus agentem repellunt, in fideicommissis non pro conditionibus observari oportet: eas vero, quæ habent moram cum sumptu, admittimus cautione oblata: nec enim parem dicemus eum, cui ita datum sit, si monumentum fecerit; et eum, cui datum est, ut monumentum faciat.

81. PAULUS, lib. 24 Quæstionum.

Julius Paulus Numphidio. Quasisti, si ita in testamento cautum esset, Stichus, si rationes reddiderit, cum contubernali sua liber esto: eisque decem heres dato: an Stichus mortuo, antequam rationes redderet, vel pariatore, vel reliqua habente, libera esset mulier; et an de legato idem accipiamus? Libertate data, si rationes reddiderit, hanc conditionem rationum reddendarum, ut jussus videatur reliqua reddere, si qua habet, cum fide actus sui: quæ si²⁴ nulla sunt, pure accepisse libertatem videbuntur: et si post aditam hereditatem decessit, competente libertate etiam legatum eos secutum est: quod si, cum adhuc reliqua haberet, decessit, sub eadem conditione et contubernalis eius libertatem accepisse videtur, et defecta [videbitur] conditio. Sed non ineleganter illud dicitur, Stichum quidem sub conditione manumissum, contubernalem autem ejus pure; et illam conjunctionem non ad conjungendam conditionem, sed ad necessitudinem demonstrandam pertinere. — § 1. Tunc demum pro impleta habetur conditio, cum per eum²⁵ stat, qui si impleta esset, debiturus erat.

15. in fin. supr. de legat. — 16. d. l. 18. in pr. — 17. L. 7. C. ut in possess. legat. — 18. L. 23. infr. ut legat. seu fideicom. servand. caus. — 19. L. 21. in fin. supr. de condit. institi. — 20. L. 5. in fin. supr. de condit. institi. — 21. Inst. de hered. institi. — 22. L. 16. § 1. infr. de rep. jur. — 23. L. 4. in pr. infr. quando dies legat. — 24. N. 22. c. 44. § 2. in fin. — 25. L. 21. § 1. infr. de statulib. — 26. L. 24. supr. h. t.

82. CALLISTRATUS, lib. 2 Quæstionum.

Cum servus ita liber esse jussus sit, si rationes reddiderit, eaque fundam heres dare damnas sit: videamus, utrum conditio libertati præposita sit, an vero et legato; et quidem si libertati soli accipiamus præpositam, nullus tractatus amplius superest: nam legatum purum invenitur; et ideo inutile fit: quod si conditio etiam legato insita sit, quod quilibet recte putant, simul cum libertate dies quoque legati utiliter cedit. Quid ergo continetur his²⁶ verbis, si rationes reddiderit? Quidam hoc aiunt, si reliqua reddiderit: quasi nihil intersit, utrum sub hac conditione si reliqua, vel si hac, si rationes reddiderit. Sed nos neque conditionem meram putamus esse, quæ in datione existit, neque meram conditionem, quæ in facto sit; sed eam conditionem, quæ ex mixtura quadam consistit; nam non utique, si ille in folle reliqua obtulerit, liber erit: non enim testator hoc sensit: sed illud ut rationes reddat, quomodo servus reddere solet, id est, legandas offerre rationes primum, deinde computandas, ut explorari possit, imputationes probe, an improbe referantur, accepta recte relata, an non recte. Ita enim incipit quidem res a facto, pervenit autem ad pecuniam. Inest his verbis etiam, heredes notitia instrui rationum, ut sciant, quid in quoque ratione scriptum sit: nam quod ipse vivus facturus erat, ab heredibus suis fieri jussisse intelligitur: ille autem utique non sic solebat servo suo, ostendentes reliqua, rationes subscribere; sed ita ut legatorem, examineret, expiceret. Itaque cum servo sub hac conditione testamento libertas datur, si rationes reddiderit, non hanc solam habet significationem, si cautiones instrumentaque omnia actus sui exhibuerit heredi: sed et si reliqua heredi.

83. PAULUS, lib. 12 Responsorum.

Lucius Titius ita testamentum fecit, Aurelius Claudius natus ex illa muliere, si filium meum se esse judici probaverit, heres mihi esto. Paulus respondit, filium, de quo quæreretur, non sub ea conditione institutum videri, quæ in potestate²⁷ ejus est, et ideo testamentum nullius esse momenti.

84. Idem, lib. 14 Responsorum.

Illis liberis alimentorum nomine, si cum filio meo morati fuerint, menstruos denarios centenos et vestimenta dari volo: liberti in obsequio fuerint, quamdiu adulescens ad militiam promoveretur: qua causa effectum est, ut quibusdam Romæ relictis proficisceretur, et apud castra defunctus est. Quæsitum est, an ab heredibus ejus alimenta debeantur. Paulus respondit, conditionem heredem in persona libertorum, qui cum filio defuncti morati sunt, aut per eos non stetit, quod minus morantur, mortuo filio testatoris defecisse non²⁸ videri: sed si testator propter filii utilitatem his, qui cum eo morati fuissent, alimenta præstari voluit, contra voluntatem defuncti petentes audiri non oportere.

85. SÆVOLA, lib. 3 Responsorum.

Titia heredis instituti liberos habentis filii fidei commisit, uti rem ejus universam restitueret filiis ejus, liberisve eorum, cum²⁹ ipsi petissent, sine ulla juris cavillatione: quæro, an his verbis, cum illi a te petierint, conditio fideicommissio adscripta videatur? Respondit, non videri.

86. MÆLIANUS, lib. 5 Fideicommissorum.

Julianus noster, eum, qui decem dare, et ita liber esse jussus esset: si a vivente manumissus esset, non aliter legatum, quod ei cum libertate datum esset, habiturum, quam si conditioni libertatis paruisset. Item in emptorem, si alienatus esset. Sed id tunc³⁰ locum habet, cum omnimodo simul cum libertate legatum adquiri potuit, licet legato imposita non sit, veluti cum in tempus libertatis legatum collatum esset. Cum vero libertas sub conditione, legatum autem presentis die datum est: in hoc quæsitio est, an constitit³¹ legatum? etenim nec Catoniana³² sententiæ locum in proposito esse, quia etsi statim testator decessisset, non tamen omnimodo inutile esset legatum, cum posset conditio libertatis ante³³ aditam hereditatem impleri, et legatum manumisso deberi: nisi forte necessarius³⁴ heres extitisset: tunc enim omnimodo inutile erit legatum jure ipso: quia sub conditione accepit libertatem.

87. VALENS, lib. 1 Fideicommissorum.

Quod traditum est, in legatis novissimam³⁵, in libertatibus levissimam³⁶ conditionem spectandam esse:

88. GAIVS, [lib. 1 Fideicommissorum].

[Id est, quæ ipsi servo commodior sit]:

26. L. 32. L. 81. in pr. supr.; L. 111. infr. de statulib. — 27. L. 4. supr. de hered. institi; L. 4. C. de institi. et subinsti. — 28. L. 1. C. de legat. — 29. L. 48. infr. de verb. oblig. — 30. L. 66. supr. h. t. — 31. § 2. Inst. de legat. — 32. L. 15. in pr. supr. de opt. legat. — 33. L. 10. § 6. C. de caduc. tollend. — 34. L. 91. § 1. supr. de verb. oblig. — 35. L. 46. § 1. supr. h. t.; L. 5. in fin. supr. de testam. tut.; L. 16. in pr. supr. de verb. oblig. et pupill. subinsti.; L. 6. in fin. § 7. in fin. supr. de adm. vel transf. legat.; L. 12. § 1. supr. de legat. et fideicom. de codicill.; L. 19. C. de fideicom. — 36. L. 88. infr. h. t.; L. 1. § 2. supr. h. t.

89. VALENS, lib. 1 Fideicommissorum.

Non ad eaduntaxat pertinet, quæ sæpius sub diversis conditionibus, sed etiam, quæ primo pure³⁷, deinde sub conditione dantur. Itaque quod heres pure dare jussus est, quodve pure legatum est, cum id ex intervallum sub conditione legatum est, posterius valet. Si prius sub conditione, deinde pure³⁸ legatum est: præsens debetur. Quod si pure legatum, ex continenti heres sub conditione damnatus aut rogatus est dare: perinde est, ac si juncta subjecta scriptura idem legatum esset, vel ut præsens vindicari, si hoc voluerit legatarius, vel, cum conditio existerit, ab herede peti posset: nisi commemoratione superioris legati posterius scriptum fuerit, velut, Stichum, quem illi legavi, heres meus ei, si illud factum erit, dato: tunc enim revocandi animo præsens legatum, et sub conditione dandi ita scripsisse videbitur: et si ante conditionem rem vindicet, doli exceptio locum habere poterit.

90. GAIVS, lib. 1 Fideicommissorum.

Per fideicommissum varie data libertate non levissima spectanda est, sed novissima: quia posterior voluntas³⁹ potior haberi debet: cui consonat etiam rescriptum divi Antonini.

91. MÆLIANUS, lib. 2 Fideicommissorum.

Conditionum, quæ in futurum conferuntur, triplex natura est, ut quædam ad id tempus, quo testator vivat, quædam ad id, quod post mortem ejus futurum sit, quædam ad alterutrum pertineant: tempus autem vel certum vel infinitum comprehendatur: quæ omnia non minus in fideicommissis, quam in institutionibus ac legatis incidere solent: ut hæc conditio, Titio, si mihi nupserit, non dubie, nisi vivente testatore; illa autem, Si ad exsequia funeris mei venerit, nisi post mortem impleri non possit; illa vero, Si filio meo nupserit, vel vivente⁴⁰ vel mortuo⁴¹ testatore impleri possit. Et prima quidem ac tertia ex relictis conditionibus, infinitum tempus habent: quandoque enim nupserit, impletur conditio, secunda ad certum tempus adscripta est.

92. ULPIANUS, lib. 3 Fideicommissorum.

Si cui legatum fuerit relictum, isque rogatus sit liberos suos emancipare: an cogi debeat manumittere? Et retineo me dixisse, epos eos a petitione fideicommissi; neque enim prætor fideicommissarius epos ad libertatem trahit, ut servos. Papinianum quoque libro nono Responsorum scribere referbam, non esse cogendum emancipare filios suos. Arbitror tamen extra ordinem debere constitui, eum, qui adgnovit [id] quod sibi relictum est hac contemplatione, ut liberos suos emanciparet, cogendum⁴² emancipare: neque enim debet circumveniri testantium voluntas; sic deinde hoc accipiendum, quemadmodum si sub conditione libertatorum emancipandorum ei fuisset legatum, vel ita relictum, ut eos emanciparet. Cui rei consequens est quod divus Severus rescripsit: nam cum quædam mulier nepotes suos heredes instituisset, et ipsum filium coheredem filiis suis dedisset, eosque invicem substituisset, rogassetque filium, ut filios emanciparet, non autem rogasset, ut hereditatem eis restitueret, ex auctoritate D. Severi emancipare eos compulsus est, hisque restituere hereditatem: et adjectum est, [ut] si tardius id faceret, quasi ex mora usuras præstaturum: videri enim eum, qui moram faceret emancipationi, moram restitutioni fideicommissi eam facere.

93. PAPINIANUS, lib. 8 Responsorum.

Mater filio suo coheredes sine ulla conditione filias ipsius dedit, ac petiit, ut filias suas emanciparet⁴³, ita ut curatores a pretore acciperent: filii videri fidei commisse placuit, ut eis sui juris constitutas, ad hereditatem avæ pervenire pateretur: nec ad rem pertinere, si portionem filiarum jure substitutionis quæsisset.

94. HERMOGENIANUS, lib. 1 juris Epitomarum.

Cum ita datur libertas, si Titio, qui non est heres, decem dederit: certa persona demonstratur, ac propterea in personam ejus tantum conditio impleri potest: sane si cum cesserit dies, pecuniam conditioni comprehensam statuliber habuerit, jure constituto nulli dando consequitur libertatem. Diversa causa est legatarii, in cujus persona placuit conditionem deficere, si antequam dederit legatarius pecuniam, Titius moriatur. — § 1. Ex his verbis, si heredi, vel si heredi Titio decem dederit, liber esto: non tantum heredi, sed etiam heredis⁴⁴ heredi dando, perve-

37. L. 45. infr. de manumiss. testam. — 38. L. 46. § 2. supr. h. t.; L. 7. supr. de adm. vel transf. legat. — 39. L. 52. in fin.; L. 81. § 7. L. 113. § pen. supr. de legat. 1; L. ult. in fin. infr. de fideicom. libert. — 40. L. 65. in fin. infr. de manumiss. testam. — 41. L. 36. in pr.; L. 61. L. 68. supr. h. t.; L. 7. C. de institi. et subinsti. — 42. L. 19. in pr. supr. h. t. — 43. Inst. L. 114. § 8. supr. de legat. 1. — 44. L. 70. supr. h. t.; L. 15. C. de fideicom. — 45. L. 2. § 2. supr. h. t.

nit ad libertatem; at si nullus heredi successerit, jure constituto, nulli dando ad libertatem perveniet.

95. *Idem*, [lib. 4 juris Epitolarum].

Legatum sub conditione relictum, et ad alium translatum, si non conditio personæ cohæreat, sub 45 eadem conditione translatum videtur.

96. PAULUS, [lib. 1, ad Neratium].

Titio usufructus servi legatus est, et, si ad eum pertinere desisset, libertas seruo data est; Titius vivo testatore decessit: libertas non valet: quia 46 conditio nec initium accepit. Paulus: Ergo et si viveret Titius et capere non potest, idem dicendum est: desisse 47 enim non videtur, quod nec incipit. — § 1. Servi usufructus mulieri, quoad vidua esset, legatus; idem servus, si ea 48 nupsisset, liber esse jussus est: si mulier nupsisset, liber erit: quia potior est legato libertas 49.

97. *Idem*, [lib. 2, ad Neratium].

Municipibus, si jurassent 50, legatum est: hæc conditio non est impossibilis. Paulus: Quemadmodum ergo pareri potest? per eos itaque jurabunt 51, per quos municipii res geruntur.

98. *Idem*, [lib. 3, ad Neratium].

Mea res sub 52 conditione legari mihi potest: quia, in hujusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis expletæ spectari oportet.

99. PAPINIANUS, [lib. 18 Quæstionum].

Conditiones extrinsecus legari non ex testamento venientes, id est, quæ tacite inesse 53 videantur, non faciunt legata conditionalia.

100. *Idem*, [lib. 7 Responsorum].

Titia, si non nupsisset, ducenta, si nupsisset, centum legavit; nupsit mulier: docenta, non etiam centum residua petat: ridiculum est enim, eandem et ut viduam et ut nuptam admitti.

101. *Idem*, [lib. 8 Responsorum].

Pater Severianam Proculam Ælio Philippo cognato nuptiis testamento designavit: eidem filiae prædium, si Ælio Philippo nupsisset, verbis fideicommissi reliquit; quod si non nupsisset, idem prædium Philippo dari voluit: nondum viripotens puella diem suum obiit. Respondi, cum in 54 conditionibus testamentorum voluntatem potius, quam verba considerari oporteat, Ælio Philippo fideicommissum ita datum videri, si ei Procula defuncti filia nubere noluisset: quare cum ea prius, quam viripotens fieret, vita decesserit, conditionem extitisse non videri. — § 1. Ita fideicommissum dato, volo restituas si sine liberis decedas: conditio deficit ex voluntate, vel uno 55 filio superstitie relicto. — § 2. Conditionum verba, quæ testamento præscribuntur, pro 56 voluntate considerantur: et ideo, cum tutores testamento dati, quoniam interea puer adoleverat, id egerint, at curatores ipsi constituerentur, conditio fideicommissi talis præscripta, si tutelam in annum octavum decimum gesserint, defecisse non videbitur. — § 3. Socrus nuri fideicommissum ita reliquerat, si cum filio meo in matrimonio perseveraverit: divortio sine culpa viri post mortem socrus facta, defecisse conditionem respondi, nec ante diem fideicommissi cadere quam mori cõperit nupta vel maritus; et ideo nec Mucianam cautionem locum habere; quia 57 morte viri conditio possit existere. — § 4. Fideicommissa menstrua et annua sub ea conditione liberto relicta, Quamdiu res patroni filiae gesserit, etsi præstari necesse est, filia prohibente res suas administrari: tamen voluntatem filia mutante, conditionem resumunt, quoniam plura sunt.

102. *Idem*, [lib. 9 Responsorum].

Cum avus filium ac nepotem ex altero filio heredes instituisset, a nepote petiit, ut si intra annum trigenario moreretur, hereditatem patris suo restitueret: nepos liberis relictis, intra ætatem superscriptam vita decessit: fideicommissi conditionem, conjectura pietatis, respondi defecisse 58, quod minus scriptum, quam dictum fuerat, inveniretur.

103. PAULUS, [lib. 14 Quæstionum].

Si ita legatum sit, Titio post decem annos dato, si satis ab herede non egerit, et Titius intra decimum annum decesserit, ad heredem suum transmittat legatum: quia moriente eo conditio extitit.

104. *Idem*, [lib. 14 Responsorum].

Eum, qui post apertum testamentum deportatus 59, et restitutus est,

45. L. 21, in pr. supr. de adim. vel transler. legat. — 46. Vide tamen L. 3, § 1, supr. usufr. quemadm. caret. — 47. L. 203, infr. de reg. jur. — 48. L. ult. infr. de statulib. — 49. L. 14, in pr. supr. de legat. 1. — 50. L. 11, in fin. supr. de legat. 1. — 51. Immo vide L. 56, in fin. pr. supr. h. t. — 52. L. 41, § 2, supr. de legat. 1. — 53. L. 1, § ult. supr. h. t. L. 6, § 1, infr. quando dies legat. — 54. L. 19, in pr. supr. h. t. — 55. L. 6, § 2, C. ad St. Trebell.; L. 248, l. 149, infr. de verb. sign. — 56. L. 7, in fin. supr. de supell. legat. — 57. L. 72, § 2, supr. h. t. — 58. L. 45, in pr. supr. de vulg. et pupil. subdit.; L. 6,

fideicommissum petere posse, cujus conditio postea extitit, quam civitatem romanam recipiat.

105. POMPOSIUS, [lib. 5 Epistolarum].

Si fundum a testatore sub conditione legatum heres alii pendente conditione legavit, post existentem conditionem, quæ priori testamento præposita fuerat, neque proprietatem a priori 60 legatario recedit, nec locum religiosum in eo fundo heres facere, nec servitutem imponere poterit: sed et imposita servitus 61 finietur existente conditione.

106. JULIANUS, [lib. 28 Digestorum].

Hoc genus legati, Si Titio non nupsisset, perinde habendum est, ac si post mortem Titii legatum fuisset, et ideo nec Muciana satisfactione interposita capere legatum potest: sed et alii nubendo, nihilominus legatum consequitur.

107. GAUUS, [libro singulari de Casibus].

Aliquando accidit, ut sub conditione datum legatum purum intelligatur: veluti quod sub eadem 62 conditione relictum est, sub qua etiam heres alius institutus est: item quod sub hac conditione relictum est, si hereditatem adierit. Ex diverso quoque purum datum legatum conditionale videtur: veluti quod sub conditione ademptum est: quia sub contraria 63 conditione datum intellegitur.

108. SCAEVOLA, [lib. 19 Digestorum].

Libertis omnibus legavit domum: et hæc verba adiecit, ut in ea habitent liberti, ne de nomine exeat, et ut ad unum, qui novissimus extiterit, perveniat, et eo amplius eisdem libertis meis dari volo fundum Sostanum. Quæsitum est, an conditio adposita, ne de nomine exiret, ad sequens quoque legatum pertineret? Respondit, pertinere 64.

109. *Idem*, [lib. 20 Digestorum].

A testatore rogatus, ut acceptis centum nummis restitueret hereditatem Titie coheredi sua, adita hereditate decessit, similiter et Titia, antequam daret centum: quæsitum est, an heres Titie, offerendo centum ex fideicommissio, partem hereditatis consequi possit? Respondit, heredem conditioni parere 65 non posse. Claudius: magno ingenio de jure aperto respondit, cum potest dubitari, an in proposito conditio esset.

110. POMPOSIUS, [lib. 9 Epistolarum].

Etiam si invitit heredibus ex peculo statuliber pecuniam Titio det, liber quidem fit: sed Titius, qui invitit heredibus sciens accepit, pro possessore videtur eam pecuniam possidere, ut avocare 66 eam hi, qui invitit fuerunt, possint.

111. *Idem*, [lib. 11 Epistolarum].

Qui sub conditione rationum reddendarum 67 liber esse jussus est, docere debet, constare fidem omnibus, quæ ab eo gesta sunt: ut neque subtraxerit quid ex his, quæ acceperit, neque expensum rationibus præscriperit, quod non dederat: sed et quod reliquum per contextum scriptum est remanere apud eum,olvere debet: neque enim aliter liber esse potest, quam si hoc modo conditioni, sub qua data est libertas, satisfecerit. Ceterum debitores, cum quibus ipse contraxerit, non utique in diem mortis domini sui fuisse idoneos 68 præstare cogendus est: sed eo tempore, quo his creditum est, ejus conditionis fuisse, ut diligens paterfamilias his creditoribus fuerit.

112. *Idem*, [lib. 12 Epistolarum].

Tales conditiones, si monumentum (puta) fecerint, pluribus proposita, non 69 possunt nisi in omnibus simul personis existere. — § 1. Item, si Sumpthoro et Januario centum Titius præstiterit, fundum ei lego. Sumpthoro mortuo an legatum perisset? sed hoc quoque sic putat interpretandum, ut si dum quisque eorum viveret, præstitisset. Sed benigna interpretatione dicendum, si non post mortem Titii Sumpthorus decessit, debere partem dimidiam Januario dantem, partem fundi dimidiam legatarium esse consecuturum. — § 2. De illo quoque quæritur, fundus quibusdam legatus est, si pecuniam certam in fufus impensamque perferendi 70 corporis in aliam regionem dedidisset: nam, nisi uterque dederit, neutri sit legatum: quoniam conditio nisi per utrumque expleri non potest. Sed hæc humanius interpretari solemus: ut cum duobus fundus legatus sit, si decem dedidisset, et alteri dando partem, legatum quoque debeatur. — § 3. Priscus respondit, statuliberum non utique ibi,

C. de instit. et subdit.; L. 30, C. de fideicom. — 59. L. 59, § 1, in fin. supr. h. t.; L. 59, § 4, supr. de hered. instit. — 60. L. 64, in pr. supr. de legat. 1; L. 15, supr. de reb. dub. — 61. L. 11, in fin. supr. quemadm. servit. amitt. — 62. L. 21, § 1, infr. quando dies legat. — 63. L. 6, in pr. infr. d. t.; L. 10, in pr. supr. de adm. vel transler. legat. — 64. L. 77, in pr. L. 83, supr. h. t. — 65. L. 51, in fin. supr. cod.; L. 104, § 1, supr. de legat. 1. — 66. Immo vide L. 26, § 1, infr. de statulib. — 67. L. 83, supr. h. t. — 68. L. 41, in fin. infr. de fideicom. libert. — 69. Immo vide L. pen. C. de condit. insert. — 70. L. 14, § 4, supr. de religio.

ubi paterfamilias decessit, aut ubi ipse relictus sit, aut ubi velit, rationes reddere debere: sed interim proficisci ad eum, cui reddere debeat: utique si is reipublica causa aberit: verissimum est autem, ut alias aliud ex persona locoque sit æstimandum.

113. PAULUS, imperialium Sententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris sex libro secundo.

Cum filius rogatus fuisset a patre, si antiquam res suas administrare posset, decessisset, hereditatem Titio restituere: et egressus viginti annos decessisset: rescriptum est, fideicommissum deberi.

TIT. II.

AD LEGEM FALCIDIAM.

1. PAULUS, [lib. singul., ad legem Falcidiam]

Lex Falcidia lata est, quæ primo capite liberam 2 legandi facultatem dedit [usque ad dodrantem] his verbis: Qui cives romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatum testamentum facere volet, ut eam pecuniam, easque res quibusque dare, legare volet, jus potestatisque esto, ut hac lege sequenti licebit. Secundo capite modum legatorum constituit his verbis, Quicumque civis romanus post hanc legem rogatum testamentum faciet, is quantum cuique civi romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestatisque esto: dum 3 ita detur legatum, ne minus, quam partem quartam hereditatis, eo testamento heredes capiant: eis, quibus quid ita datum, legatumve erit, eam pecuniam sine fraude sua capere licet: isque heres, qui eam pecuniam dare jussus damnatus erit, eam pecuniam debet dare, quam damnatus est. — § 1. Lex Falcidia etiam ad eos, qui apud hostes 4 moriuntur, propter legem Corneliam pertinere videtur: quod ea lex perinde eorum testamenta confirmat 5, atque si in civitate decessissent: propter quam fictionem lex Falcidia, et omnes testamentaria pertinent: quæ tamen possint locum habere. — § 2. Ad eos, qui omnia causa testamenti, possident hereditatem, non pertinet lex Falcidia: sed per edictum 6 prætoris inducitur potestas legis. — § 3. Idemque est, si jururandi conditio remissa 7 sit. — § 4. Sed et si seruo suo testator data libertate legaverit; quia differtur in id tempus, quo liber futurus est; item si ei, qui apud hostes est, aut ei, qui nondum natus est, datum sit aliquid, hæc lex locum habebit. — § 5. Ad municipium quoque legata, vel etiam ea quæ Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet. — § 6. Non solum autem ad res proprias testatoris legatas, sed et alienas lex pertinet. — § 7. Et omne quod ex bonis defuncti erogatur, referatur ad hanc legem: sive in corpore constet certo incertoque, sive pondere, numero, mensura valeat, aut etiam si jus legatum sit, ut usufructus, aut quod in nominibus est. — § 8. Item si ita legatum sit, heres meus Seio penum dabo: si non dederit, decem 8 dato: quidam putant omnimodo in legato decessisse, penum autem mortis causa capi, nec in Falcidiam imputare id heredem posse. Ego autem didici, si in continentis heres penum solverit, videri hoc legatum esse, et in legem Falcidiam imputari posse: et quod dixi in continentis, ita accipiendum, cum aliquo 9 spatio: quod si jam mora facta solverit heres penum, tunc nec legatum eum accepisse, nec in Falcidiam imputari posse: jam enim transfusus legatum esse et decem deberi. Idemque erit, et si ab initio ita legatum datum sit, Si penum non dederit, decem dato: quia hic penus non est legata: et penus si datur, mortis causa capitur: quia deficit legati conditio. — § 9. Si usufructus legatus sit, qui et dividit 10 potest, non sicut ceteræ servitutibus 11 individue sunt: veteres quidem æstimandum totum usufructum putabant, et ita constituendum quantum sit in legato. Sed Aristoteles a veterum opinione recessit: ait enim, posse quartam partem ex eo, sicut ex corporibus retineri; idque Julianus recte probat. Sed operis servi legatis, cum neque 12 usus, neque usufructus in eo legato esse videtur, necessarii est veterum sententia, ut sciamus, quantum est in legato: quia necessario ex omnibus, quæ sint facti, pars decedere debet, nec pars operæ intelligi potest. Imo et in usufructu, si quærat, quantum hic capiat, cui usufructus datus est: quantum ad ceterorum legatorum æstimationem, aut etiam hujus ipsius, ne dodrantem excedat legatum, necessario ad veterum sententiam revertendum est. — § 10. Si quis creditor suo, quod debet, legaverit: aut inutile legatum erit 13, si nullum commodum in eo versabitur, aut si propter representationis (puta) commodum utile erit, lex quoque Falcidia in eo 14

Tre. II. — 1. Lib. 6, C. 50, 2, Inst. 22, N. 1. — 2. N. 1, in pr.; N. 22, c. 2. — 3. L. 75, in fin. infr. h. t. — 4. L. 18, vers. nec huic contrarium infr. cod. — 5. L. 12, supr. qui testam. facere. — 6. L. 6, in pr. supr. si quis omnia. caus. testam. — 7. L. 26, in fin. pr. supr. de condit. et demonstr. — 8. L. 79, in pr. infr. quando dies legat.; L. 1, supr. de peno legat. — 9. L. 105, infr. de solution.; L. 5, § 1, infr. de collation. — 10. L. 83, infr. h. t.; L. 5, supr. de usufr.; L. 19, supr. de usu et habit.; L. 14, supr. quib. mod. usufr. — 11. L.

commodo locum habebit. — § 11. Si legatarius possessionem nactus est, et non 15 potest avocari ei res, quia voluntate heredis errantis nactus est possessionem: dabitur actio heredi, ut id, quod supra dodrantem est, offeratur. — § 12. Interdum omnimodo necessarium est, solidum solvi legatario interposita stipulatione 16, quanto 17 amplius, quam per legem Falcidiam ceperit, reddi: veluti si quæ a pupillo legata sint, non excedant modum legis Falcidiæ: veremur autem, ne impubere eo mortuo alia legata inveniantur, quæ contributione facta excedant dodrantem. Idem dicitur, et si principali testamento quædam sub conditione legata sunt, quæ an debeantur, incertum est: et ideo si heres sine iudice solvere paratus sit, prospiciet sibi per hanc stipulationem. — § 13. Id, quod ex substitutione coheredis ad coheredem pervenit, proficit legatario. Is enim similis est heres ex parte pure, ex parte sub conditione heredi instituto: sed ea, quæ ab eo legata sunt, si omiserit hereditatem, non augentur, scilicet si ab eo nominatim data sunt, non quisquis mihi heres erit. — § 14. Si coheredis mei portio exhausta sit, mea integra, et illam vindicavero, Cassius confundendas esse partes existimat: Proculus contra; in qua specie et Julianus Proculus adsensit: quam sententiam probabilior esse puto. Sed et divus Antoninus iudicasse dicitur commendas esse utrasque partes in computatione legis Falcidiæ. — § 15. Si coheredem meum post aditam hereditatem adrogavero: non dubitabitur, quin separandæ sint portiones, perinde atque si coheredi meo heres existissem. — § 16. Si in annos singulos legatum sit Titio, quia multa 18 legata et conditionalia sunt, cautioni 19 locus est, quæ in edicto proponitur, quanto amplius accipit, reddi. — § 17. Id, quod natura hereditati debetur, et peti quidem non potest, solum vero non repetitur, non esse computandum in hereditate quidam putant. Sed Julianus et hæc ex eventu augere patrimonium aut non augere existimat, et hereditario jure id quoque capi: ideoque et in restitutionem hereditatis venturum. — § 18. Si debitor 20 creditor heres existat, quamvis confusione liberetur, tamen locupletior hereditatem percipere videtur: ut computetur ei quod debet, quamvis aditione confusum sit. — § 19. De impensa monumenti nomine facta, quæritur, an deduci debeat? Et Sabinus ita deducendum putat, si necessarium fuerit monumentum extruere. Marcellus consultus, an funeris monumentique impensa, quantum testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat, respondit, non amplius eo nomine, quam quod funeris 21 causa consumptum est, deducendum: nam ejus quod in extructionem monumenti erogatum est, diversam esse causam; nec enim ita monumenti ædificationem necessariam esse, ut sit funus ac sepultura: idcirco eum cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit, Falcidiam passurum.

2. MARCELLUS, [lib. 22 Digestorum].

Nec amplius concedendum erit, quam quod sufficiat ad speciem modicam monumenti.

3. PAULUS, [lib. singul., ad legem Falcidiam].

Si heres institutus eam hereditatem, quæ solvendo non est, vendiderit: vix quidem poterit persuaderi non fuisse eam hereditatem solvendo, quæ emptorem inveniret; vera autem ratione nihil legatarii debetur: quia magis ex stultitia emptoris habere videtur heres institutus, quam ex bonis defuncti: nam et contrario, si male vendiderit res hereditarias, non erit hoc legatario detrimentum: ita ergo commodum debet esse heredis, si bene res administraverit. — § 1. Sed et si is, qui solvendo non est, legaverit, et heres cum creditoribus deciderit, ne solidum solveret, et ob eam decisionem factum sit, aliquid retineret, nihil tamen legatarii debetur: quia eam pecuniam non ex hereditate, sed ex decisione habet. — § 2. Item si reipublicæ in annos singulos legatum sit: cum de lege Falcidiæ quærat, Marcellus putat, tantum videri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes ejus summæ, quæ legata est, colligendas.

4. PAPINIANUS, [lib. 16 Quæstionum].

Fundo legato mihi sub conditione, pendente legati conditione heres me heredem instituit, ac postea legati conditio extitit: in Falcidiæ ratione fundus non 22 jure hereditario, sed legati, meus esse intellegitur.

5. *Idem*, [lib. 8 Responsorum].

Verbis legati vel fideicommissi non necessarie civitati relinquitor, quod ex causa pollicitationis præstari necesse est. Itaque si debiti modum testamento dominus excessit, superfluum duntaxat Falcidia minuetur.

infr. h. t. L. 17, supr. de servit. — 12. Obs. L. 5, supr. de oper. servor. — 13. § 14, Inst. de legat. — 14. L. 5, infr. h. t. — 15. Immo vide L. 15, supr. de jurisdiction. — 16. L. 1, § 2, infr. si cui plus, quam per leg. Falcid. — 17. de leg. 1, § 1. — 18. L. 3, supr. de annuis legat.; L. 19, infr. quando dies legat. — 19. L. 48, in fin. infr. de peno legat. — 20. L. 96, in pr. infr. cod.; L. 44, § ult. supr. de evict. — 21. L. ult. § 2, C. de iure tribu. — 22. L. 6, in pr. C. cod.